



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 77. Cardinalis Mantuani obitus, vitæque historia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

Pallav. c. 6.

num. I.

Viscont. t. I.

Lettr. 7.

Es 8. p. 59.

Es 77.

Cum ergo Cæsar Italiæ vicinus esset, Mantuæ Dux ejus Gener Oenipontum venire constituit, Imperatorem salutaturus: accessit itaque unacum Ducissa Conjuge sua, quæ tamen illum nonnisi modicis itineribus sequebatur: Dux vero post Cardinalem Lotharingium aliquot diebus (\*) Tridentum veniens, ibidem primum Synodi Legatum Patrum suum extremo morbo laborantem offendit, atque illic subsistens exacto triduo tristi decedentis Mantuani Cardinalis spectaculo interfuit.

§. LXXVII.

*Cardinalis Mantuani obitus, vitæque historia.*

Pallav. n. 2.

Possev. in

Gonzag.

Ciacon. t. 3.

pag. 481.

Pfal. p. 378.

Aubery vie

des Card.

Spond hoc

ann. n. 9.

Rayn. ad

ann. 1563.

num. 56.

Obiit hic Cardinalis die secunda Martii annos natus quinquaginta octo, postquam per triginta sex annos purpuram gestaverat. Natus is erat Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo quinto ex Francisco Gonzaga hujus nominis secundo, & Elisabetha Estensi Herculis Ferrariæ Ducis Filia, atque expleto decimo quinto ætatis suæ anno cedente Sigismundo Gonzaga Patruo suo Mantuanum Episcopatum, & vigesimo secundo anno Cardinalitiam dignitatem obtinuit, postea vero

Tarra-

(\*) Pallavicinus inquit, *horis.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

Tarragonensi Archiepiscopatu auctus  
rexit quoque Fanensem, & Suanam  
Ecclesias, ex quibus tamen postremam  
Farnesio Cardinali, qui postea Ponti-  
fex Paulus III. nominabatur, cedebat:  
quamdiu autem ejus Nepotes Franci-  
scus ejusdem nominis tertius, & Gui-  
lielmus, qui sibi invicem in Mantuani  
Ducatus regimine succedebant, adhuc  
sub Curatorum tutela erant, per sex-  
decim annos idem Cardinalis eorum di-  
tiones cum summa mansuetudine, ac  
prudencia gubernabat, quin propterea  
ullo pacto Ecclesiæ suæ sollicitudini de-  
esset, labores partitus cum Philippo  
Arrivabeneo Mantuano Nobili Jeropoli-  
tano Episcopo, ac Leonardo Marino  
Genuensi Patritio Viro ex Ordine Sancti  
Dominici doctissimo, & Laodicensi Epi-  
scopo, quorum opera adjutus pro im-  
buendis Diæcesis suæ Parochis Cate-  
chismum typis edi curabat: insuper  
idemungebatur Campaniæ, & Mar-  
chiæ Anconitanæ Legationibus, nec-  
non circa Annum Domini millesimum  
quingentesimum trigesimum Legatus  
ad Carolum V. Cæsarem decernebatur,  
dum hic pro recipienda corona Cæsa-  
rea Bononiam accesserat. Denique  
Pauli III. Julii III. Marcelli II. Pauli IV.  
& Pii IV. electionem suo suffragio pro-  
moverat. Tandem corpus ejus Man-  
tuæ



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

tuæ ad Ecclesiæ Cathedralis Sacellum Divo Petro sacrum fuit translatum, ubi hodieum sepulchralis illius inscriptio vilitur.

Ceterum die tertia Martii solemnes pro illo celebrabantur exequiæ, quibus omnes Synodi Patres intererant: imo ipse etiam Mantuæ Dux, & Cæsar Gonzaga ejus Frater, qui Cardinali Patruo suo usque ad extremum vitæ halitum adstiterant, Oenipontum proficisci differebant, defuncti corpus Mantuam usque comitantes, ubi eisdem magnifica prorsus pompa pro more justa persolvi curabant.

§. LXXVIII.

*Cæsareorum molimina pro Lotharingio Cardinale in primum Synodi Legatum subrogando.*

Pallav. c. 6.  
num. 4.  
Lett. de  
Viscont. t. 1.  
p. 117. &  
119.

Postea Seripandus hujus Viri obitum summo Pontifici nuntiabat, eum rogans, ut alium a Sacro Collegio magis veteranum, qui se superior esset in Concilio, subrogare vellet: Cæsarei vero confestim in Lotharingium Cardinalem oculos convertebant, spargentes, si ea Legatio huic Cardinali committeretur, satis factum iri cunctis Principibus, & Nationibus, cum una omnes plurimum confidentiæ in eum re-

pone-